



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1230. Usque Ad Annum 1248

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1764**

**VD18 90118049**

§. 8. Comes Tolosanus Papam sibi reconciliat.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66268](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66268)

Sæcul. XIII. *tres illos odio fides ex ipsis incrementi sui*  
A C. 1243. *causis creditis periclitetur.* Clerus his in  
querelis majus commodorum tempora-  
lium, quam animarum salutis studium  
commonstrat.

## §. VIII.

*Comes Tolosanus Papam sibi re-  
conciliat.*

*Ric. S. Ger.* **R**aymundus Tolosanus Comes an. 1243  
*p. 1040. 1042* mense Septembri in Apuliam ad Im-  
peratorem delatus, transacta ibi hyeme,  
toto insuper anno sequente in Italia man-  
sit, identidem Romam proficiscens, ut pa-  
cem inter Papam & Cæsarem confice-  
ret. Absolutionem quoque tum per se  
ipsum, tum per Legatos postulabat, se  
mandatis ejus obtemperaturum spon-  
dens. Ergo Papa 2. Decembris anno  
1243. Archiepiscopo Bariensi præcepit,  
ut Comitem audito ipsius juramento soli-  
to absolveret. Etiam credibile est, Prin-  
cipis hujus precibus adscribendum, quod  
Papa Innocentius per litteras Inquisito-  
res Galliæ juberet hæreticorum reditum  
promovendi causa cunctos, qui non da-  
mnati nec convicti Ecclesiæ reconcilia-  
tionem ultro poscerent, nulla imposita  
pœna recipere, idque in locis, quæ fun-  
ctiones suas obituri peterent, post adven-  
tum suum edicere, certum statuentes  
tem-

*L. epist. 266.*  
*ap. Rain.*  
1243. n. 31.

*L. epist. 3. 6.*  
*ap. Rain.*  
*ibid.*



tempus, quo elapso, qui sponte non venissent, severius haberentur. Dabat 12 Decembris an. 1243. Sæcul. XIII.  
A.C. 1243.

Episcopus Tolosanus pariter Romam vocatus est; & interim Petrus Amelinus Narbonensis Archiepiscopus, Durandus Episcopus Albigenensis, & summus Carcassonæ Prætor Montis Securi Tolosana in Diœcesi arcem, quæ inexpugnabilis videbatur, hæreticisque ac facinorosis publicum præbebat perfugium, obsessam occupare. Ducenti hoc loco hæretici vestiti capiebantur nec viri tantum sed & foeminae. Hæretici declarati vocabantur vestiti. Erat inter eos Bertrandus Martinus, quem agnoscebant Episcopum suum: & cum hæresin suam ejurare nollent, erectum fuit palorum septum, ubi combusti sunt. Castri hujus expugnatio bello adversus Albigenes finem fecit. G. Pod.  
Laur. 6. 46.  
Cang. Gloss.  
hæret.

Comes Raymundus ab anathemate, quod Fratres Prædicatores contra ipsum pronunciaverant, per Archiepiscopum Bariensem absolutus Papæ præsentem se stitit, & luculenta demissionis suæ obstrictique animi specimina dabat. Papa sereno vultu exceptum in gratiam sanctæ Sedis ex consilio Cardinalium restituit, eo quod ille per suam inter Principes dignitatem, potentiam & dexteritatem Ecclesiæ perutilis esse posset. Etiam commendatio S. Ludovici Regis pro eodem



Sæcul. XIII. dem orantis grave apud Papam pondus  
A. C. 1244 habuit, quod hic illi per litteras 1. Janua-  
 rii an. 1244 datas indicat, suadens, ut  
 cum Comite tam benigne agat, ut is Sedi  
 Apostolicæ, Regique ipsi fidelis semper  
 maneat.

## §. IX.

*Pactio inter Papam & Cæsarem.*

*Matth. Par.* **R**aymundi sic in gratiam reducti operam  
 p. 545. adhibuit Imperator ad agitanda pa-  
 cis cum Papa ineundæ consilia, duosque  
 Curiae Cæsareæ Judices Petrum de Vi-  
 neis, & Thaddæum Suesiensensem illi ad-  
 junxit. Papa hoc ad negotium Episco-  
 pum Ostiensem, ac tres alios Cardinales,  
 Stephanum, Ægidium, & Ottonem ele-  
 git. p. 555. Præcipuæ pacis conditiones erant,  
 ut Fridericus redderet omnes terras ante  
 dissidium Papæ subditas, aut Ecclesie,  
 seu Papæ foederatis ereptas: & ut qua-  
 quaversus scribens declararet, se obedi-  
 tiam sententiæ contra se a Gregorio IX.  
 pronunciatae debitam haud omisisse per  
 contemptum, sed quia sibi denunciata  
 non fuisset: qua tamen in re deliquisse  
 se agnosceret: *Fateor enim, addebat, Pa-  
 pam, etiamsi vitiosus esset, plenam potesta-  
 tem, quod ad spiritualia, in omnes Chri-  
 stianos Clericos laicosque ac ipsos in Re-  
 ges habere. Imperator se hanc noxam  
 expiaturum per eleemosynas, jejunia a-*  
 liaque